Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

bit. Quis autem tuam iusticiam suffere posset, si mi-
sericordia tua non adesset, quia non iustificabitur in
conspectu tuo omnis uiuens: Nam dixisti, si prophana-
uerunt iusticias meas, et mandata mea non custodie-
runt, uisitabo in uirga iniquitates eorum. Ergo domi-
ne Jhesu Christe propter gloriosissimam incarnationem
tuam: item tentationem, baptismum tuum, ieiunium,
amarissimam pasionem tuam, gloriosam resurrectionem
tuam, et ascensionem, atq; sancti spiritus missionem, eua-
cua hoc habitaculum tuum ab angelis apostaticis, et im-
mitte spiritum tuum in eam, crea in ea cor mundum,
et spiritum rectum innoua in uisceribus eius, per tuam
clementiam, et intercessionem sanctissimæ uirginis Ma-
riæ matris tuæ, et omnium sanctorum, per teipsum,
qui uenturus es iudicare uiuos. etc.

Nunc dicat Psalmum.

De profundis clamaui. etc. Et cum peruenerit ad uersu
istum: Si iniquitates obseruaueris. etc.

Completo uersu, dicat ad aures.

Ergo uos maledicti diaboli, per ueritatem omnipotentis
dei et domini nostri Jhesu Christi date gloriam ipsi do-
mino Deo nostro, deo uiuo et uero, et recedite ab hoc